

etfi quodammodo dentatum pinxerit Bellonius. *Oculi* magni, rotundi, aurei. *Branchiae* utrinque quaternae, quarum ossea opercula in aculeos desinunt. *Pinnae* duae mediocres ad branchias, duaeque aliae in anteriore ventris parte paulo longiores, ac in quinos velut longos pilos aut setas porcinas degenerantes, ab ano rursus duae aliae, quarum prior pars quinque duntaxat aculeis constat; altera multo longior, et ad caudam fere usque extensa, aculeis caret, in *dorso* unica tantum et magna, ut quae paulo ante medium dorium exorta, ad caudam usque fere extenditur, figura huic pisci propria, et aliorum piscium dorfi pinnae dissimilis. Primum namque in longissimos pilos ejus fere modi, quam in anteriori ventris parte conspici diximus, terminatur; deinde plurimis robustissimis aculeis intertextis armatur; postremo aliis etiam aculeis osseis multo brevioribus, bifidis atque recurvis, secundum ejus exortum in dorso praemunitur. Pars *ventris* utrinque ossibus instar acuti cultri secantibus firmatur. *Cauda* in unam pinnam definit. *Ventriculum* habet medioerem, gulam manifestam, intestina parva tenuius in gyros convoluta, inter quae ova rubra latere Rondeletius ait. *Hepar* candidum sine felle, lienem rubescentem exiguum, mesenterio haerentem. *Cordis* pars infima rubet, suprema et media ex

albo rubescit, quod in paucis piscibus spectatur.

In faxis eum degere tradidit Oppianus, in Atlantico et Gaditano generosissimis piscibus adnumerari Columella. Ita carnivorus est, ut nec alia maris purgamenta spernat. An ei stridor competat, quem Chalcidi Aristoteles tribuit, ita ut pro χαλκός χαλκός legatur, quod Aldrovando placet, aliis judicandum relinquo: mihi, cum branchiarum opercula tam horrida habeat, ut dimota sonitum edant, et vero plurimi ex piscibus τὴν δοκῶσιν φωνὴν τῇ τριψεί τῶν βραγχίων (ἀκανθῶδεις γὰρ εἰ τόποι) hoc quod vox videtur, attritu branchiarum quippe loca spinea sunt emittunt, verisimile videtur. Solivagus est, et erectus, non passerum more in latus conversus natat.

Reputatur inter pisces carne satis tenera et friabili, concoctu facili, et boni succi. Apud veteres in multa fuisse aestimatione ex Columella dum dicit, *Atlantico pascitur Faber: qui et in nostro Gadium municipio, generosissimis piscibus adnumeratur, eumque prisca consuetudine Zeum appellamus*, didicimus. Cum ob corporis tenuitatem, commode assari nequeat, aut frictum et omphacio aut aurantii mali succo irroratum, aut in aqua et vino partibus aequalibus, oleo, sale, beneque olentibus herbis atque aromatibus elixum comedi, Salvianus tradit.

Oppian.
Halieut. l. r.
v. 133.

Columella
R. R. l. 8.
c. 16.

Plin. H. N.
l. 9. c. 18.

CAPVT II.

De Piscibus saxatilibus laevibus.

ARTICVLVS VNICVS.

De Alaudis et Pholide.

TAB. XVII. **I**nter Saxatiles laeves, Alaudae duntaxat, cum iis, qui ad eas pertinent, Gutturoso nempe pisce, et Exocaeto Bellonii, et Pholis reperiuntur.

ALAUDAM duplicem facit Rondeletius, *Cristatam* et non *Cristatam*.

Illam corporis specie Scorpioidi admodum est similis. *Colore* fusco multis maculis partim rotundis, par-

tim oblongis et tortuosis notato, tenui, laevi et lubrico, ore parvo, *denticibus* anterioribus ferratis, posterioribus exertis, *oculis* parvis caeruleis, in vertice dum vivit erecta est *crista*, mollis et caerulea. *Pinnae* ad branchias latae sed breves; in ventre parvae et tenues. *Podex* non procul a branchiis distat, a quo pinna ad caudam protenditur, alia in cervice ad caudam continua. *Peritonaecum*